

Nr. 96.



- 11 Calixtus, Geo., IV evangell. scriptt. concordia. fol. 1638.
- 2 | Egg, historia Magorum ex Matth. II. ed. 2. Helvst. 1641.
- 3 | Egg, in ep. St. ap. Pauli ad Titum expos. tct. ed. 3. Helvst. 1649.
- 4 | Egg, Sandae, et cath. et apost. eccles. eggis primorum et secundorum
concil. symbola et confessiones. Helvst. 1649.
- 5 | Egg, scripta facientia ad colloquium a - Vladislao IV Tom
nii - 1644 indicatum etc. Helvst. 1645.
- 6 | Conring, Herm., De antiqu. acad. diss. VI. Helvst. 1651.
- 7 | Homerus, lomr.. oratio funeb. memoriae Fr. Huldri. duc. Brun
sui. - a. 1635 hab. Helvst. 1641.
- 8 | Titius, Gerh., oratio de corruptelis quibus in occidente ead. L. Elki
mis et sequent. presertim pac. est oppressa. Helvst. 1650.
- 9 | Schrader, Chistph. ar. ad - legatos - visuuae ordinandaegs Rood.
mioros. Helvst. 1650.
- 10 | Scheurl, iudeu de negotio perito gratul. Helvst. 1650.
- 11 | Egg, Natalis academiae 73 cum presentatione in honorem
C. Horneji. Wolphob. 1649.
- 12 | Gelhauso, Sam., De bello et pace oratio - in paio - Monasteriu
publicacione memoriae - nichilaka Gordilegiae - Helvst. 1651.
- 13 | Stuckius Ioh., progr. festo nat. F. C. Helvst. 1635.
- 14 | Calixtus, Geo., progr. fest. nat. F. C. - quo controversia exoutatur
num Ig. puerum carnem sit filius. Naturalis L. adopt. et rom. pont
Hadr. L. male definitioe convincitur. Helvst. 1643. verke

Fleasenritter. 1873.



- 15/ Conring, Herm. pragr. fest. nat. L.C. Helmst. 1650.
16/ Quistorp, Joh., pragr. in nat. L.C. Rostock. 1627.
17/ Homborg, Joh. pragr. festo mort. L.C. Helmst. 1657 ^{post mort.}
18/ Egg, pragr. fest. pentec. Helmst. 1657. *(De spiritu p. C.)*
~~19/ 23.~~ pragr. in funere Fabritii. Helmst. 1657. — Cath. Conring
Heicerringiae. Helmst. 1639. — Henr. Hooang. Helmst. 1650. —
Dot. Mary. Schwartze Kopfiae, Joh. Mivenerus. Helmst. 1650 —
Fried. Dr. Horneji. Helmst. 1657.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-351618-p0006-0

DFG

15
ans

ORATIO FVNEBRI^S
MEMORIÆ
*SEREN. ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,*
**DN. FRIDERICI
HVLDERICI,
DVCIS BRVNSVICENSIS AC
LVNÆBURGENSIS,
IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA
III. EID. SEXTIL.
ANNO cI^o lC^o XXXV.
HABITA
ET NVNC DEMVM EDITA
^A
CONRADO HORNEIO
S. THEOL. D. ET PROF.
PVBL.**



*HELM AESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.
ANNO cI^o lC^o XLI.*

PARENTATIO ANNI c̄lo Ioc XXXVI.

Super obitu

SERENISSIMI PRINCIPIS,

DN. FRID - VLDARICI, DVCIS
BRVNSVIC. AC LVNÆB.

Eam Musæ, Charites, Lubentiaq;
Iam Cantus, Choræ, Ioci, Lepores,
Risus, Delitia, ac Suavitates;
Omnes iam Veneres, Cupidinesq;
Valete; atque iterum inquio; Valete:
Milliaq; adeo, inquio, valete:
Æternumq; iterum inquio; valete,
Et nostro properè abstinet eætu.
Nec unquam lepidum pedem referts.
Nam Princeps meus, atque vester ille,
Qui nostræ Patriæ Pater benignus;
Nostrum præsidium, decusq; nostrum
Hactenus fuit, (ah, fuit, miselli!)
Desit moriendo noster esse,
Atque ad pallidulas recepit umbras.
Quare vos Veneres, Cupidinesq;
Vos Cantus, Choræ, Ioci, Lepores,
Risus, Delitia, ac Suavitates;
Vos Musæ, Charites, Lubentiaq;
Omnes nunc pariter simulq; abite
Ad tristes Erebi nigri recessus.
At vos, Tristitia, gravesq; Luctus;
Vos Questus, Lachryma, asperiq; Planctus,
Lamenta, & Gemitus, & Eiulatus,
Et quodcumque genus viget Dolorum,
Adeste & miseris vices referte;
Nec nostro prius abstinet eætu.
Donec Elysias brevi viretis
Nobis contigerit, inbente fato,
Tam caro capiti invicem reiungi.

Ioachimus Goetz

• Vm sæpè & ipse animum ad
parentandum Serenissimo Principi
nostro, Patriæ Patri, instituerim,
magn. ce Dn. Prorector, clarissimi
collegæ, ornatissimi juvenes, mul-
ta me impedierunt hactenus, longus præsertim &
acerbus morbus, qui postquam altero abhinc
anno me invasisset, etiamnum ita excruciat, ut
nec officium facere omni ex parte, sicut velim &
impigrè olim suevi, possim, nedum extra ordi-
nem oneris quidquam in me suscipere, quod ali-
as etiam recteq; valentis humeri ferre recusent.
Accedit incredibilis animi mœror, qui memeti-
psum mihi tantùm non ademit, nec, ut solet, tem-
poris longinquitate minui aut mitigari, sed gli-
scere magis & magis indies videtur: quod enim
magnorum malorum proprium est, ut primo qui-
dem appulsi stuporem inducant, & postea de-
mum eò altius in animum penetrent, quò minus
primo impetu sentiebantur; idem in hoc longè
acerbissimo patriæ casu usu venire omnibus ne-
cessè est, qui illius amorem aliquem retinent, &
vitæ humanæ planè imperiti non sunt: nec enim
Principem amisimus, sed benignissimum patrem,
idq; non tranquillo rerum statu, sed in tantis bel-

A 2

lorum

Iorum fluctibus, nec ea ætate, qua natura ipsa ad
ultimam illam metam properat, sed annis virenti-
bus, non morbo denique, sed miserabili lapsu in-
terceptum. Quibus si id insuper addas, tum quod
tota florentissima familia, quæ tot sæculis has
terras feliciter rexit, simul ejus morte extincta,
tantus hic malorum cumulus est, ut is vix ulla ac-
cessione augeri possit. Excelsum & vastarum ar-
borum instar esse magnos principes etiam divi-
nis oraculis edocti novimus, quæ dum vigent ac
florent hospitium avibus, receptum bestiis, fru-
ctus hominibus impartiuntur. At cum eadem vel
reciduntur, vel ventorum violentia aut terræ
motu dejiciuntur, non tantum illa omnia pere-
unt, sed ipsæ ruinâ suâ cuncta circum circa obte-
runt, & vicinis prædæ fiunt. Quod si præterea ra-
dicitus eas extirpari contingat, ut nec repullu-
lare possint, res cum spe amissa est. Idem pror-
sus nobis accidit, auditores, quod proclive mihi
sit pluribus explicare ac comprobatum dare, si
frænos potius dolori laxare, quam omni ope eum
reprimere malim. Id certum est non nostras so-
lum terras, aut academiam hanc, sed totam ecclæ-
siam & Romanum imperium tantam obitu Prin-
cipis nostri jacturam fecisse, quantam pauci fortè
existiment: ea enim est harum provinciarum, cū
florent, potentia & robur, ea item Principum no-
stro-

strorum non nobilitas tantum sed in Imperio dignitas ac prærogativa, ut magnum id ad salutem totius Germaniae momentum habeat, qui qualesque isti sint, & quibus illæ dominis pareant. Non vivit autem usquam vel summi Numinis reverentior, vel otij & tranquillitatis publ. aman-
tior, vel æquior deniq; ac moderatior Princeps, quām ille noster erat, non educatione tantum ad talia sed natura factus. Quid ergo non sperari de eo poterat, præsertim sapientissimo & fortissimo senatu instructo (qua in parte adversis quām se-
cundis rebus felicior fuit,) cùm ad recuperandam aliquam in Germania rem publ. & quietem, tum ad recreandam, eâ receptâ, ex tot annorum in-
credibili calamitate & immanni oppressione carif-
fimam patriam? Nunc non tantum ista omnia

Abstulit una dies & funere mersit acerbo,
sed eadem nobis novorum malorum, Deus omen
avertat! conciliatrix ac pararia facta fuit: vix e-
nim est, ut pacatis rebus sine noxa id expertat,
quum hinc apicem rapax Fortuna cum stridore a-
cuto sustulit, hic posuisse gaudet, nedum rep. jam
rum turbata hoc facile contingat. Hæc & multo
iis plura quoties in mentem venerunt (non po-
tuerunt autem non sæpè venire) ita totum me
mœror occupavit, ut non calatum tantum ab-
jicere, sed animum etiam à rerum tristissimarum

A 3 con-

consideratione s̄apē quām longissimē abducere
coactus sim , ne valetudinem antē afflictā porro
pessum darem. Postremō & plus cæteris omni-
bus ab instituto me deterruit argumenti ipsius
varia & multiplex difficultas; nec enim ea dicen-
di vi me præditum esse sentio , ut quidquam tan-
to Principe dignum in medium afferam, sive re-
gium & Cæsarium ejus genus spectem, sive animi
quibus illud æquabat, maximas & incredibiles
dotes. Et ut tenui sermonis filo detexere omnia
velis, nihil oratorum more ornare, tot tamen ac-
tantæ etiam hac in re occurrunt salebrae, quas de-
clinare prorsus oratio nostra non poterit, ut præ-
stantissimis quoq; dicendi magistris negotium
facessere queant : nec enim vel mite illud & be-
neficum Principis nostri ingenium, quo omnes
superavit, vel pacificum & ab omni injuria , ut
orco, abhorrens pectus nominaro saltem, quin i-
lico cunctorum animis tum aliæ adversitates ,
quibus cum olim conflictati sumūs, tum exitialis
hujus belli, quod ultimis annis ortum est, tri-
stissima imago obversetur, quo nos tali Principe
implicari potuisse & nec in alta pace omnia ex
voto fluxisse, id verò non mirum tantum supra
modum sed incredibile quoq; videtur. Et quan-
quam caussæ horum omnium nec abstrusæ adeo
sunt, nec vel mihi vel cuiquam homini docto, inq;
patria



patria ipsa non proorsus hospiti ignotæ: silentio
camen eas hic involuere, vel parcè certè attingere,
quām explicare, & quod ajunt ignē gladio fodere
præstat. Aequè acut⁹, & nescio annon periculosior
scopulus statim prospicitur, ubi belli hujus nar-
rationem ingrediariis, sive indigna illa atq; infan-
da memores, quæ ex eo tempore inaudito ha-
ctenus in Germania exemplo in opt. & innocen-
tissimum Principem terræ filii & monstra homi-
num designarunt, sive inconcussum & invictum a-
nimi robur, quo omnes istos non iratae sed furen-
tis planè fortunæ insultus fortiter tot annis vel
fregit vel elusit; nihil enim horum ita nunc à no-
bis dici potest, ut ijs veritas pariter ac libertas sua
constet, si paullo accuratiūs exponere velis. Erit
tamen, erit aliquando, cum testis illa temporum,
lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nun-
cia vetustatis, hæc etiam, ut alia in lucem profe-
ret, vel certè Dominus ipse faciet, cum venerit,
qui illustraturus est res tenebris occultatas & consilia
cordium manifestabit. Videtis, auditores, quid
hactenus in mora fuerit, ne justa hæc citius opt.
Principi persoluerem. Nunc cum tergiversari
amplius nec pudor permittat, nec ordo, qui di-
cendi partes ad me devolvit, nec ipse, qui ho-
die recurrit, emortalis dies, pauca de educa-
tione vita & moribus egregij Principis disse-
ram,



ram, non tam ut tantorū, quæ amisimus, honorū
jacturā muliebriter deplorem: frustra enim sim,
cum nullo tempore, nullis lacrimis, nullo cruci-
atu recuperari possint; quām ut memoriam virtu-
tis & meritorum, quantum in me est, conservem:
dignum enim id nobis est, nec sine piaculo, quo-
ad vixerimus, omitti potest. Non depromam au-
tem ex rhetorum lecythis quidquam, nec verbo-
rum calamistratorum lenocinijs simplicem veri-
tatis orationem corrumpam: nam Pythagoræ af-
fentior, qui cantus vocesq; Musarum suaviores
quam Sirenum esse dicebat, Sirenum voces ap-
pellans comtum illud & affectatum dicendi ge-
nus, Musarum autem sermonem, quo nuda veri-
tas sine omni cerussa & fuco conspicienda pro-
ponitur. Quapropter ea afferam, quæ vel nota
omnibus sunt, vel certò nobis comperta, velet-
iam quæ ipsi coram inspeximus, cum sub initium
hujus belli per totum biennium vix dies præte-
raret, quin apud optimum principem essemus.
Quod dum facio, vos Patres academicī, & tu stu-
diosa juventus, ut me benignè pro humanitate
vestra audiatis majorem in modum rogo. Vbi
initio non est quod expectetis, ut de illustrissima
Principum nostrorum prosapia denuo hic dicam
tum quod id antehac disertè & accuratè ex hoc
ipso loco statim à principio factum, tum quod is,
quem



quem ipse mihi designavi, dicendi campus talis
est ut nos immorari his non patiatur. Sanè non
parum interest, maximè in principe, unde natus
sis, nec abs re dictum est, fortis creari fortibus &
bonis, esse in juvencis, esse in equis patrum virtu-
tem, nec imbellem feroce progenerare aquilas
columbam: nec semper tamen id evenit, & cum
sit, aliqua in eo sita sunt, non omnia. Natura qui-
dem, ait philosophorum Princeps, ex bonis bonos
gignere vult, sed plerumq; non potest. Quod & poë-
ta observavit: Αρχαῖαι δὲ δέεται, inquit, Ἀμφίσητι, αλ-
λαξόμεναι ψυχῆς ἀνδρῶν φέντο. Εὐχερῶ δὲ γάρ τὸν μέλαναν καρ-
πὸν ἔδωκαν ἄρχεται. Δένδρεα τὸν κέφαλον πάσις ἐτέων φεύόδοις
Ανθοῖς λαδες φέρειν, πλάτῳ ἵσσον, οὐδὲν ἀμείβονται. ηγή θνατόν
ὕπτιον φέντο ἄγγειον. Antiquæ virtutes retro feruntur,
mutaturq; cum etate earum robur. Sed nec in arvo ni-
græ terræ fructum (semper) ferunt. Nec arbores vo-
lunt omnibus annorum periodis Flores odoros ferre, auro
contra caros, sed alternis vicibus. Eodem modo mortale
robur regit fatum. Et ut natura eximia atque illu-
stris non desit, accedere tamen rationem & con-
firmationem quandam doctrinæ oportet, ut præ-
clarum & singulare quid existat: nam doctrina
vix illam promovet insitam, Rectique cultus pectora
roborant: Ut cunq; defecere mores, Dedecorant bene-
nata culpæ. Quare illis nunc missis de indole
& educatione Principis paullo pluribus dice-

mus. Erat autem ille non gente tantum ea e-
ditus, quæ tot olim reges, imperatores, Princi-
pes, tam toga quam sago toto terrarum orbe
clarissimos protulit, sed ita insuper natus, ut
statim in puerो heroicum i.e. benignum ac be-
neficum prorsus ingenium eluceret: non enim
quod inter magnates ad vexandum & opprimen-
dum, sed fovendum ornandum & recreandum ge-
nus humanum factum est, heroicum dixero. Eun-
dem sedulo & regiè prorsus ab incunabulis usque
educari serenissimus pater *HENRICVS IVLIVS*
curavit: cum enim ipse sapientia, literis & virtute
inter plerosq; omnes imperij Principes, quoad
viveret, tantum emineret, *Quātum lenta solent in-*
ter viburna cupressi, nec ignorare poterat, quid in
re illa omniū maxima momenti esset, nec ut tan-
to bono tum filium primogenitum ac hæredem,
tum per eum terras suas impartiretur, studio aut
operæ ulli parcere. Cum autem regum & Princi-
pum filios ad remp. educādi duplex sit ratio, una
in belli studijs, altera in literis, maluit eum suo ex-
emplo his quam illis innutrir: præterquam enim
quod id filij ingenio aptissimū esse intelligeret, i-
ta judicabat, in isto potius quam illo salutem reip.
præcipue verti: etsi enim dubitari nequit, nec sine
armorū præsidio & bellicæ rei peritia eam in tu-
to diu esse posse, ut omnino ex usu sit, si nec prin-
cipes

cipes nec cives ea studia prorsus deponant: cer-
tum tamen est summam omnium non in ijs sed in
sapientia & virtute collocatam esse. Ut enim
nunc taceam, quod in bello ipso parum arma
prosint foris, nisi consiliū sit domi, id constat, rei
militaris scientia interdum, artibus pacis semper
opus esse: infelix enim est resp. quæ ut contra vi-
cinorum injuriam se tutetur, arma deponere
nunquam potest, infelicitas adhuc, meo iudicio,
quæ perpetuò armata est ideo ut alios opprimat
& longè lateq; imperium proroget, quia generis
humani malo & exitio nata est. Vnde & Philo-
sophus in Lacedæmoniorum republ. id merito
reprehendit, quod omnia ejus instituta bello
tantùm apta, paci & otio inepta essent. Et sicut fit,
ut qui in castris inter tubas & lituos adoleverunt,
non bella solum necessaria & justa, sed ferè omnia
ament, nec quæ justa aut injusta sint discernere
satis possint: (literatorum enim hoc proprium
est, non militum,) imò sàpè cum hostem foris
non inveniunt, in ipsa viscera reip. arma conver-
tant: ita contrà maxima & internecina bella solâ
plàrumque prudentia & virtute, aversa, impru-
dentia autem & temeritate sàpè conflata esse no-
vimus. Si exempla quærimus (etsi historiæ eo-
rum plenæ sunt) nostra eheu! toto orbe nota ca-
lamitas non patitur, ut longè eapetantur. Ipsum

B 2

hoc



hoc bellum videamus, auditores, quām levibus
illud initiiis ante annos XVII. cœpit, & ex quām
paucis scintillulis tantū incendiū paullatim exor-
tum, ut non hoc solum imperium, totius orbis
Christiani caput, miserabiliter eo conflagrarit,
sed universa propemodum Europa nunc ardeat?
At quæ caussæ tām ingentis mali? intestina prin-
cipum odia ac dissidia, partim ex nullius momen-
ti litibus, partim suspicione & æmulatione po-
tiūs quām aliunde nata, nec à viris prudentibus
moderatis & bonis mature repressa, sed à temera-
riis malis & novarum rerum cupidis nutrita &
aucta, totam patriam, cum signum non ipsi, sed
paucæ, nec nostræ quidem gentis, sacerrimæ ani-
mæ sustulissent, funditus everterunt. Verūm
quò dilabor? Intelligitis, auditores, cur sapien-
tissimus & nunquam sine laude nobis appellan-
dus princeps H E N R. I V L I V S filium in literis
quam armis institui maluerit. Præfecti autem pū-
eritiæ ejus fuerunt Lucas Langemantelius Spar-
ræus, homo nobilis & doctus, & Rudolphus
Diepholdius Verdanus Græcarum postea litte-
rarum in hac acad. doctor. Et Diepholdium qui-
dem virum insigni doctrina virtute atq; integri-
tate fuisse, nemo vestrum, Patres academicici, i-
gnorat: talem enim se, dum vixit, omnibus pro-
bavit. Nec aliis moribus Sparræum fuisse acce-
pimus.



pimus. His successerunt & adolescentiam prin-
cipis rexerunt Adamus Crusius de Borchfelda e-
ques Megapolitanus, & Ioan. Peparinus Diep-
holdij popularis, uterq; exquisita eruditione &
virtute præstans: nam Crusius supra captum sui
ordinis literas ab ineunte ætate excoluerat, tanta
carum cupiditate incensus, ut etiam vergente
ætate, sicut alter Cato, Græcas litteras addiscere
non dubitarit. Peparinus autem, cum initia uti i-
usq; litteraturæ in patria sub præclaro illo ludi-
magistro Detlevo Rascio feliciter imbibisset,
post in hac academia ita eam multis annis porró
complexus est, ut inter doctissimos ejus alumnos
etiam juvenis censeretur, dicendo & scribendo
nullo omnium inferior. Eratq; fides ac prudentia
ejus jam inde omnibus perspecta, quod antea Iag-
mannos & Goetzios, interq; hos nob.^{mum} & per-
fectæ virtutis virum, Ioachimum Goetzium in-
formarat, eorumq; per Galliam & extera regna
comes fuerat. Hi ergò non in aula tantùm Princi-
pi juventutis præsto fuerunt, sed deinceps etiam
cum in avitam hanc academiam à Patre missus
esset, & Peparinus quidem etiam *επιτηδημία*: nam
Crusius, qui jam consenuerat, cum ante eam dis-
cessisset & in patriam remigrasset, paullo post ibi
in prædio suo rebus mortalium exemptus est.
Cum **huc** **venisset** **illusterrimus** **hospes**, non u-

num aut alterum tantum, sed tot viros egregie
doctos, quibus acad. nostra abundabat, heroici
ingenij sui excultores adeptus est, in primis sum-
mum hac in re magistrum Ioan. Caselium, lite-
rarum omnium, & earum cum primis, quæ ad e-
loquentiam virtutem ac civilem prudentiam, du-
cunt, unicum in his oris parentem, qui ut alter seu
Chiron seu Phœnix de principum & magnatum
educatione non in Megapoli & hīc tantum, sed
passim per Germaniam, tot annis, (μακεδονίᾳ enim
peculiari Dei beneficio fuit,) qua præsens qua
absens consilio & opera sua tam præclarè meri-
tus est, ut nemo ei hac in parte comparari possit.
Caselij tamen optionem hic fuisse rectè dixero
Cornelium Martinum Andverpium, universæ
reliquæ philosophiæ, cum Duncano Liddelio
Scoto medicorum patre, apud nos conditorem,
Caselio præceptore olim suo, tum collega, nihil
quidquam minorem, nisi quod ille octogenarius,
hic vix quinquagenarius decessit. Ut de horum
judicio præcipue omnia in educatione principis
gererentur, non tantum Ser. ^{mus} pater mandarat,
qui ab initio quoq; ea in re consilio Caselij usus
erat, quod & olim in sua ipsius educatione D.
IVLIVM fecisse norat, sed ita fieri etiam Crusius
& Peparinus cupiebant, & sic omnino consul-
tum erat: habet enim hanc præ cæteris disci-
plinis



plinis omnibus dignitatem ac prærogativam
philosophia & humanior literatura, ut cum nul-
la in universum juventutis sive ad ecclesiam sive
ad remp. informatio ea carere possit, ut rectè ad-
ministretur & solidi quidquam habeat, in princi-
pum tamen educatione non aliqua tantum sed
propemodum omnia sibi vendicet. Pietatem sa-
nè i.e. rectam de Deo fidē verumq; ex fidei illius
præscripto Numinis cultum regina scientiarum
Theologia docet: & hic ut omnium omnino stu-
diorum, nullis prorsus exceptis, ita cum primis
regiarum litterarum præcipuus fundus est: quod
si enim hominis ethnici dictum hoc est, urbem si-
bi videri citius sine solo quām rempub. sine op-
pinione de Dis aut constitui, aut ubi constituta sit,
servari posse, quantò minus nos eam rempubl.
rectè geri aut beatam esse posse putabimus, cuius
Princeps veram de Deo doctrinam non norit,
aut si novit, secundum eam rectè ac piè Deum
non colat? Hac ergo scientia maximè omnium
salutari non tinctum leviter tantum, sed imbui-
tum esse eum oportet, nec talia ab aliis tantū sub-
inde accipere sufficit, sed ipsi ex divinis oraculis
quotidie petenda sunt: ita enim Deus ipse præce-
pit. Non recedet, inquit, liber legis huius ab ore tuo, sed
meditaberis in eo die noctuq;, ut custodias & agas iuxta
omne illud quod scriptum est in eo: tunc enim prosperum
reddes

reddes iter tuum, tunc prudenter ages. Sed ut his o-
mnibus nihil magis est utile aut necessarium, ita
communia Princeps hæc cum civibus omnibus
habere debet, ut bonum Christianum eum esse
oporteat, Theologum necesse non sit. Similiter
nec de eo dubitari potest, etiam legum & institu-
torum patriæ peritum esse debere: qui enim rem-
publ. recte gubernet, si quibus legibus ea regen-
da sit prorsus non norit? Nec propterea tamen
totam jurisprudentiam discet, & jus omne, præ-
sertim privatum, cognoscet. At virtutum præ-
cepta & civilis sapientiæ monita, & rerum ante-
se in orbe gestarum memoriam, unde sibi suæq;
reip. quod imitetur capiat, unde fœdum inceptu,
fœdum exitu, quod vitet, non solum semper in
promtu habere, sed ita in juventute perdiscere
debet, ut artificibus eo in genere æquari possit:
non magis enim dignitate quam prudentia &
virtute Principem subditis antestare decet. Hæc
autem omnia philosophia ambitu suo complecti-
tur, ut mirum non sit Platonem (at quantum
virum!) tum denique fore beatas resp. putasse,
si aut docti aut sapientes homines eas regere
coepissent, aut qui regerent omne suum studium
in doctrina & sapientia collocassent. Sed hæc
hujus loci non sunt: ad Principem nostrum re-
vertamur. Cum autem is extera regna & terras
visere

visere decrevisset, primò in Suevorum academi-
am contendit, & cum ibi aliquandiu substitisset,
in Galliam concessit. Perlustrato florentissimo
regnorum & maximo ejus rege *HENRICO* Navar-
ræ sub abitum salutato, in Angliam trajecit, ubi
splendidè à doctissimo & sapientissimo rege *IA-
COBO* & materterera regina exceptus, cum pluscu-
los dies cum *VVallia* Principe, *HENRICO FRIDE-
RICO*, consobrino suo, se oblectasset, & præcipua
eius quoq; regni loca inspexisset, Isaaco etiam
Casaubono sæculi nostri ornamento Londini
salutato, & Oxoniensibus, præsertim autem fe-
stivissimi poëtæ Ioan. Audeni Musis celebratus,
per Belgium in patriam salvus & in columnis rediit.
Commentarios de toto itinere Peparinus adfe-
ctos habebat: quos etsi relecturum sc & editurum
aliquando dictitare familiaribus solebat, postea
tamen diffici & longa ægritudine implicitus id
facere non potuit. Nobis duo nunc tantum com-
memorare de eo adhuc libet. Vnum est. Cum in
Gallica peregrinatione Princeps ad ipsos Pyre-
næos montes propriùs, minus lustrandorum
desiderio, accessisset & in parvo aliquo vico pro
montanorum illic locorum ratione cum comi-
tatu suo apud hominem, ut videbatur, litteris
tinctum, divertisset, mentionem injicere inter
mensas Germaniæ provinciarum, interq; eas pa-

C

triæ



triæ quoq; placuit, ut expiscaretur ecquid de ea
famæ ad ipsum pervenisset. Respondit hospes,
Ioan. cujusdam Caselij scriptorum aliquid se
cum voluptate olim legisse, eumq; scire ex hac
provincia oriundum, de cætero nihil nosse. Prin-
ceps inexpectato responso perculsus, quodque
academiæ Iuliæ fama sibi in ipsis Hispaniæ con-
niis & Pyrenæis occurreret miratus, continere se
pro suo in litteras amore non potuit, quin ita se
rem habere confirmaret, & patrem suum illarum
regionum Principem, se heredem esse profitere-
tur. Alterum Londini accidit. Cum enim Prin-
ceps hunc, ut diximus, honorem Casaubono, ob
inusitatam & toto orbe notam eruditionem, pro
humanitate sua haberet, eumque inviseret, sicut
& Parisiis Iac. Augustum Thuanum historiæ re-
centis principem salutarat, & similiter primum
de Germania pòst de ecclesia sermones cæderen-
tur; totus enim tum in sacris studiis Casaubonus
erat, ita ille in laudes Martini Chemnitij nostra-
tis se diffudit, ut eum se omnibus Protestantium
Theologis, ubicunq; floruisserent, anteferre testa-
retur, idque ut cum multa salute Paullo ejus fi-
lio, qui Brunsuici tum adhuc degebat, nuncia-
retur rogaret. Neutram narratiunculam præter-
ire hic visum fuit, quarum priorem ex ipsius Pe-
parini ore, posteriorem ex ejusdem litteris acce-
pi,

pi, quas eo tempore ex Anglia ad Caselium de-
derat. Principe ad suos reverso aberat adhuc in
aulla imperatoria Pater, non propriis amplius
sed totius imperij negotiis detentus, uno præser-
tim, in quo salus ejus tum non leviter periclitata
batur: nam cum inter ipsum **R Y D O L P H V M II.**
Cæs., Aug. & Ser.^{mum} fratrem ejus **MATTHIAM**
tunc Hungariæ regem, de Bohemiæ regno dissensi-
dia & non leves simultates enatæ essent, jamq; in
nervum erumperent, tantam curam & laborem
una cum Moguntino, Coloniensi & Saxonico
Electore, Maximiliano item ac Ferdinando Prin-
cipibus Austriacis, gliscenti malo in herba suffo-
cando impendit, ut & valetudinem vitamque
ipsam, dum crebrò & maximis itineribus inter
Pragam ac Viennam discurrit, pro salute imperij
& Ser.^{mæ} domus Austriacæ prodegisse non imme-
ritò putaretur. Et utinam Deo visum fuisset, tam
præstantem heroa toti Germaniæ pauculos ad-
huc annos servare, non minori utiq; fide & solici-
tudine incendum, quod codem loco non longe
post exortum est, antè extinxisset quam totum
imperium corriperet: facile enim, & in tempore
subditos regi suo reconciliasset, qui regem ipsum
cum invictissimo fratre in concordiam olim re-
degerat. Sed peccata nostra & Germaniæ fatum
obstabant: unde factum, ut nec exemplum tam

præclarum alij tum mature imitarentur, & cum
candem communi malo nos quoq; non tam no-
stra, quām aliorum culpa involveremur, plus filio
aliena invidia ac temeritas noceret, quām pater-
na illa merita præsidio essent. Cæterū cum præ-
ter opinionem & ardua illa res, quam dixi, Patrem
moraretur, & futura comitia, quibus eum suo
nomine præsidere imperator volebat, etiam ab-
sens filium paullatim rebus gerendis adsvefacere
cupiebat. Ut itaq; non tantum senatuī aulico
præcesset, sed & novam ac magnificam hanc Musa-
rum ædem à se exstructam suo nomine dedicaret,
mandavit, quod eid. Octobr. XII. hujus sæculi,
vigesimo autem ex quo fundamenta ejus jacta
primum erant, anno factum est. Interim id resta-
bat, in quo omnia jam sita erant, ut Ser. ^{mus} Pater
terræ suis tandem redditus, quæ per ejus absenti-
am collapsa in rep. erant, instauraret, ac filius e-
gregiè educatus paterno ductu atq; auspiciis cla-
vum navis istius regere & in partem curarum ac
laborum venire inciperet. Sed mors immatura
maximi Principis tām necessariæ & salutari rei
prævertit, nec eum à laudatissimo imperatore cui
carissimus erat, avelli passa est: nam cum ille ine-
unte anno XII. rebus humanis exemptus esset, Prin-
ceps noster anni sequentis æstate decessit. Ita e-
venit, ut filius, tot amplissimarum provinciarum
heres,



theres, non adolescens solum (vix enim xxii. æ-
tatis annum ingressus erat) rem capesseret, sed
talem insuper acciperet, qualis tot annis rectore
suo destituta esse poterat. Et hactenus de educa-
tione Principis diximus, uberior quā ab initio
proposueramus. Nunc de vita & moribus ejusdē
paucula adjiciemus: nam vela orationis deinceps
contrahenda, & summa tantum rerum fastigia
persequenda esse videmus. Non poterant autem
illi non aurei prorsus esse, sive præclaram princi-
pis indolem sive accuratam informationem spe-
ctes. Nos præcipuas virtutes eo, quo videbitur,
ordine breviter percurremus, delineasse non ex-
plicasse contenti. Familiam autem ducat beni-
gnitas & clementia, quæ, si qua alia, isto honoris
fastigio cumprimis digna est, imò nullum ex o-
mnibus magis quam regem & principem decet:
nam, ut egregiè ait Romanorum sapientissimus,
pestifera vis est valere ad nocendum. Illius demum ma-
gnitudo stabilis fundataq; est, quem omnes tam supra se
esse quām profosciunt, cuius curam excubare pro salute
singulorum atq; universorum quotidie experiuntur; quo
procedente non tanquam malum aliquod aut noxium ani-
mal è cubili profiliret, diffugiunt, sed tanquam ad cla-
rum ac beneficūm fidus certatim advolant, objicere se
pro illo mucronibus insidiantium paratiissimi, & sub-
sternere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad

salutem struendum sit. Nihil tamen frequentius
est, quam ut omnia iis libeant quibus multa li-
cent, nec ad beneficentia concessa imperia esse,
sed contumeliam potent. At Princeps noster
tantum ab ea re aberat, ut non sui tantum loci
homines, *Quot sunt vel fuerunt eruntue*, sed plæ-
rosq; mortales omnes, etiam insimæ conditionis,
mansuetudine sua longissimè superaret. Parum
ei erat, scientem & volentem nemini nocere: et-
iam odiisse, nisi desperatam prorsus malitiam,
non poterat. Sed nec, nisi cum vim sibi faceret,
objurgare quenquam, aut os alicui lädere,
nendum convitum facientem aut maledicentem
audires. Quæ quidem supra humanam prope-
modum sortem sunt. Par clementiæ erat bene-
ficiencia ac liberalitas, nisi quod à petacibus tota
fere vita obsecco, rectè beneficia collocare, ut
cupiebat, integrum optimo Principi raro fue-
rit. Et verò cum nemo, ut ille ait, tam certam
habeat in beneficijs manum, ut non sæpè fallatur,
quid mirum si id Principi & tam benefico conti-
git? Sed missis aliis, quæ in academiam contulit
verbo indicabo. Vbi primo loco pono biblio-
thecam: cum enim hac, nescio quo errore, tanto
temporis intervallo illa caruisset, ipse à Corne-
lio Martino hac de re interpellatus suam acade-
miæ utendam primo concessit, post etiam dona-
vit,



vit. Cumq; ædes anatomicæ temporis
vetustate vitium contraxisse viderentur,
novam & antiqua multo ampliorem do-
mum ei usui paullo ante hoc bellum de-
stinarat, jamq; lignorum huc convecta-
tum tantum erat, quantum ad eam rem
sufficeret. Verùm tristissimis istis tempo-
ribus non opus solùm ipsum impeditum
fuit, sed materia insuper omnis à milite
partim corrupta, partim in alios usus con-
versa. Quin nec medio bello desit acade-
miæ benefacere: cum enim tot annorum
calamitate ita provinciam hanc exhau-
stam esse optimus Princeps cerneret, ut et-
iam pace recuperata academiæ doctoribus
stipendia quæ restarent difficulter exolu-
cum iri statueret, nisi veteri censui novus
accederet, tria cœnobia tum in eum usum,
tum ut eo lautiùs deinceps haberentur,
qui litteras hic docerent, academiæ dona-
vit. Quanquam autem, si tempestas hæc
paullulum adhuc durarit, vix futurum est,
ut plæriq; qui nunc vivimus fructum ma-
gnificentiaæ istius ipsi sentiamus, et si nobis
maxime



maximè & primo loco post tot calamitas
tes destinatum: si tamen in publica & po-
steritatis commodā tandem ea cesserit,
pœnitenda nobis quoq; videri non debet.
Certe Princeps immortalem laudem sibi
peperit qui academiam ea accessione lo-
cupletavit, nec minorem ampl^{mus} ejus Se-
natus, qui tantæ munificentia pro suo im-
litteras & nos omnes insigni amore, nun-
quam non in his turbis nobis perspecto,
pararius fuit. A beneficentia ad justitiam
& æquitatem rectè transierimus. Commu-
ne est Principum malum, eorum præser-
tim qui aliis potentiores sunt, alieni appe-
tentia & proferendi imperij cupiditas: un-
de primo quidem cùm interminabiles li-
tes, tūm odia & dissidia pullulare, tandem
intestina bella & recip. ruinam consequi ne-
cesse est. Noster, nisi cum ministrorum
culpa id contigit, nihil tale factitabat, usq;
ad eo ut integra aliquando provincia ultrò
se abdicaret potius quàm lites, etsi suo
tempore non cœptas, sequeretur. Et qui
alia ei mens esse poterat, in quo nec ava-
ritiæ



ritiæ nec ambitionis vola aut vestigium esset?
Iason esurire se dicebat, quum non imperaret,
πάντα ὅπε μὴ περινοῖ, ut Aristoteles testatur. *Vnus*
Pellæo iuveni non sufficit orbis, Aestuat infelix angusto
in limite mundi, Ut Gyare clausus scopulis, parvaq;
Seriphos. Sed & C. Iulium Cæsarem in ore illud
Euripidis semper habuisse accepimus: *Quod si vio-*
landum est ius, imperii gratia Violandum est, aliis re-
bus pietatem colas, Εἰς τὸ ἀδικῶν χεῖ, περινός τοι καὶ Αι-
τον ἀδικεῖν, τὰ λαδὸν δὲ λαβεῖν χρεών. At noster tantam ani-
mi modestiam ac æquitatem cæteris virtutibus
suis adjecerat, ut quidquid tale est irretor ocul-
lo & philosophica prorsus animi constantia de-
spiceret: quoties enim his nostris auribus audi-
vimus eum, cum in hoc argumentum incidisset,
disertè contestantem, fumum & inanias meras
esse istum omnem splendorem, & ipsi principa-
tui conditionem cuiusvis hominis docti præfe-
rentem? quid enim, inquietabat, ad rem, si vel ca-
put coram me prolixius quam alio homines nu-
dant, aut quod lautiùs alijs vel prændeo vel cœ-
no? Exigua profecto felicitas, propter quam tot
curas & sustineas, & de rot millibus mortalium
aliquando in Dei ipsius judicio rationem reddas.
Augusti Oæaviani æmulum dicas, cui, etsi, ut
Seneca ait, *plura Dii quam ulli prestatent, non de-*
suit tamen quietem sibi precari, vacationem à rep. petere,

D seu,

PICCIOLI



seu, ut Suetonius inquit, qui cum omnia videret ex
se uno pendentia, & hominibus gentibusq[ue] fortunam da-
ret, illum tamen diem laetissimus cogitabat, quo magnitu-
dinem suam exueret. Raras & inusitatas Principis
virtutes recensuimus: sed plures restant. Tempe-
rantiam videamus: certe ab omni libidine & im-
pudicitia ita abhorrebat, ut nec aures mentio-
nem talium ferrent. Vnde non tantum adolescentia ejus, sed & virilis aetas sine omni etiam suspi-
cione hic fuit. Sed & sobrietatem tum in adolescen-
tia, tum ultimis annis ita coluit, ut nemo
Principum magis, quamvis in juventute & flo-
rentibus rebus potatorum greges, quibus septus
ferè tum erat, transversum olim rapuissent. Cæ-
terū fortitudo & animi tolerantia in adversis in-
credibilis prorsus, ut clementia & moderatio, e-
rat: quanquam enim tanta mala rōto decennio
adierit, quanta vix Principum post hominum
memoriam ullus, conqueri tamen fortunam in-
terdum audiisses, lamentari muliebriter nun-
quam. Nec dubium est, nisi stupendo prorsus ani-
mi robore fuisset, tamdiu eum in tantis calamiti-
tibus supervivere non potuisse. Litteras, quas
à Pueritia coluerat, ita postea semper amavit, ut
nihil jucundius quam de eis sermocinantes, &
cum res ferebat, disceptantes audiret, immo etiam
libentissime ipse disceptantibus se immisceret.

Pietatem



Pietatem in ultimum locum rejecimus, (etsi caput & princeps virtutum omnium est,) ideo quod ea, si ceteris & morum virtutibus stipata non sit, fucata non vera esse soleat. Tanta autem in verbis pariter & factis Principis elucebat, ut voluptatem ex ea caperent omnes boni, qui proprioris admissionis essent: nulla enim de re libenter disserebat, quam hanc ipsa, nunquam de Deo nisi reverenter loquebatur, nec verbulo unquam nomen ejus temerantem audires. In precibus, præsertim cum calamitatibus istis urgeretur, tam assiduus erat, ut horas horis sæpè continuaret & lacrimas, quas miscebat, etiam pueri exaudirent. Quanta autem cupiditate juvandæ ecclesiæ fuerit, id testatur quod nihil academiæ unquam negarit. Vnum hinc sicco pede præterire non possum, Cum nullos sermones avidius, ut dixi, hauriret, quam qui de studiis & præsertim ecclesiasticis fierent, & equidem, quem propterea secum, quamdiu ferè Brunsuici exulabam, esse, præsertim in cœna, cum laboribus diurnis defunctus esset, volebat, de iis & universa litteratura nunquam non differerem, statim ab initio Principi ostendi, quam pauca apud nostros homines adminicula optimis studiis in promptu essent: olim quidem tum canonicorum collegia tum ex parte etiam cœnobia tot redditibus ditata, ei rei con-

D 2 secrata



secreta fuisse, sed nunc nihil vel parum præsidij ecclesiæ ac litteris in ijs omnibus esse; quin bona illa pleraq; in alios usus conveit; id non tantum cum maximo detrimento ecclesiæ factum hactenus apud omnes qui repurgatæ religioni addicti sint, sed sine dubio non postremam caussam tantarum calamitatum esse, in quas incidissimus. Hoc cum Princeps non sæpè & libenter audiret tantum, sed ipse probaret, nec cum inter paucos tantum ea de re verba fierent, sed in magna sæpe nobilissimorum & amplissimorum virorum corona, tandem mihi dixit, se pace recepta non passum, ut teruncius illorum bonorum amplius in alios usus, quam ecclesiæ, litterarum & pauperum converteretur, eo tantum sibi reservato, ut rectè administrari curaret. Addidit jusjurandum: Hoc faciam, inquietabat, ita propitius mihi in extremo illo die sit qui vivos & mortuos judicabit. Nec semel aut una vice, sed iteratò & pluribus id fecit, quod reticere hic non debui. Fecisset etiam non dubito, si superfuisset: certè initium ejus rei vidimus, cum coenobia illa, quæ diximus, academiæ donavit. Tam benignum ergo, tam moderatum, tam justum & æquum, tam castum, tam literarum amantem, tantæ denique fortitudinis & pietatis Principem Deus nobis dederat: quo donum nullum majus post veram & catholicam reli-



religionem esse potest: quid enim præstabilius est aut
pulcrius munus Deorum ait etiam gentilis ille, quam
castus & sanctus & Dis similimus Princeps? Hunc
anno superiori hoc die ad se recepit. Sed nec per-
texere hæc nunc possum, multis & præsertim no-
va hac oppidi nostri ruina impeditus. Quare
nunc finio, & longè optimo ac pijssimo Princi-
pum æternam felicitatem precor. Et habet eam
certo certius, cum & ipse inter eos sit, qui vene-
runt ex afflictione magna & lavarunt stolas suas ac deal-
barunt in sanguine agni. Ideo stat ante thronum Dei &
colit eum die ac nocte in templo eius, & qui insidet thro-
no proteget eum umbraculo. Non esuriet amplius, neq;
sitiet amplius, nec in eum cadet sol, neq; ullus æstus, quo-
niā Agnus, qui in medio throni est, pascet eum & de-
ducet eum ad vivos fontes aquarum & abstersuris est
Deus omnem lacrimam ab oculis eius. Eodem & nos
citò deducat propter Filium suum Dominum
nostrum IESVM CHRISTVM, cui cum Patre & S.
Spiritu sit honor & gloria in sæcula.

IN EIVSDEM LONGE OPTIMI ET
DESIDERATISSIMI PRIN-
CIPIS

PRÆMATVRVM

OBIITVM

ΘΡΗΝΟΣ.



ἄνα Γελφιαδῶν κύδος, πολὺ Φέρεται πάντων
τῶν βασιλέων, ὅσοι ναίσσον ἀπίρρηνα γαῖαν, εἰ
Ως Σάχα ηγόμορχος ἔλιπες Φάθονοειδίοιο,
οκύμορχος τὸν απέβης ἐπὶ αὐτῷ γήραθον γόδων.
Ουνεκανινῆς οὐλαίει πᾶσα Βρυνωνιάς αἴα
Πρέψ λαίνην, οὐκέηντε, καὶ ιχθύονταί Βίσχρυν,
Πολλὰ καὶ νωλεμέως ὄλοφύρεται Ελμιον ἀλαζόν.

Η μεγάνη νάός πολυδαίδαλον ἐστίειν. Δεινὰ μὲν ἔτλημα, ὅστις δέρθη μήσαιτο,
Εξ ἑτέρου πολέμων ἐμφυλίῳ οκρυόειντι
Κύρσαμδον, συδεκάτοιο τοξιπλομόρχον λυκάβατον.
Αλλ' ύδεν πάντων ποτὲ ρίζιον ἀπλοτέτυντο,
Ηδότης μοῖρα πραταὶ ἐπεφυε σὲ οὐρανειλαῶν,
Ο ΦΡΕΔΕΡΙΚΕΣ σὺ γδέ μενθοντον ἀλκαρ
Δισμορχίας ἐλέλενθος σανὶς ὡς οἴνοπι πόντων
Νηχομένης σώζει μία, ηδὸν διπλὸν πότμον ἀλάλκη.
Ω Φρεδαμονος Φρένες, ὡς Φρεδηνος ἀνεμώλιθον ἐλπίς,
Ουκ ἐλπίς, μᾶλλον καὶ σκιά, ηδὸν φθονοντος!
Φαῦ της ἀματλακίτης, ηδὸν τόσον ἐχώσυτο θυμῶν
τυφιμέδων βασιλεὺς, ὡς ἄλγεα μυρία δῶναι!

Αλλὰ ταῦτα μὲν προτετύχθαι εἰσομένῳ, ἀχνύματοι τοῦ
Ου κρίνειν γδέ ἔσικε θεῆια ἔργα βρετοῖσιν,
Ουδὲ ὅπιμέμφεατο τῷ γδέ κράτον δέτι μέμνειν,
Τῆς πε βάθοντο συφίης γόδων γρανίδησιν ἐφικτὸν.
Τὴν δὲ ἀγανοφερσώνην, καὶ τὸν κλέθον γρανόμηκες

Τελ-

INTERPRETATIO LATINA.

Rinceps Guelphorum decus, longè optime omnium
Regum, quotquot terram immensam incolunt,
Quam citò pulcricomum solis lumen reliquisti,
Immatura morte discedens, in ipso senectutis limine,
Vnde nunc plorat tota Brunonia tellus
Ad Lænum & Ocrum & piscosum Visurgen,
Multum etiam continuè lamentatur Elmenum nemus,
Vbi Musarum templum egregium exstructum est.
Equidem mala perpessi sumus innumera,
Ex quo bello civili & atroci
Incidimus, undecimo vertente anno:
At nihil omnium acerbius accidit,
Quàm cum te Parca interemit, Princeps
FRID. HVLDERICE: solus enim divinitus datum præsidium
Miseriæ restabas, sicut in mari tabula
Vna servat natantes & exitium arcet.
O vanas mentes, ô vanam & ventosam spem!
Imò non spem, sed umbram potius aut leve insomnium.
Hei mihi propter peccata, quibus adeo iratus est
Supremus rex, ut infinita mala nobis immitteret.
Sed hæc præteriisse sinamus, quamvis dolentes:
Nec enim arbitrari divinos actus homines decet,
Nec reprehendere: ipsius enim potentia maxima est,
Et sapientiæ abyssus nec cælitibus penetrabilis.
Benignitatem autem & gloriam cœlo æquandam

Deside-

τελλίς Θασιλέως, ὃ παυσόμεθ' ὑμνεῖοντες
Ημῷ δερκόμεθ' συνάδ' ὅππι χθονὶ παλινβοτεῖη.
Οὐ γδὲ ἐφυνέσκε τὸν ἀντὸς αγήνορειν μᾶ,
Ουδὲ ἦν δημοσόρῳ γένης οὐλεῖς ἡτοῦ ἔχεσκεν,
Αλλ' ἐθλὸς καὶ ἡπιόφρων, καὶ πᾶσιν σύνης,
Ως' κε πατὴρ τέκνοις Φίλ' ἐφράσατο δέχομένοισι,
Τῆς φύεργεσίν ήμαρ καὶ νύκτα μεμηλάς,
Πολλάκις δὲ ἔρξας καὶ τὰς κακὰς μηπόσντας,
Οἰα βρέχει θεὸς ἀντὸς ὄμῶς αγαθοῖς τὰς κακοῖς τὰς,
Καὶ σέλας ἡλίου ίάλλες πᾶσαν ἐπ' αἷαν.

Τίς τῆς ἐνσεβίης τὸ ἀκήρατον εἴποι ἀνακτῷ,
Η νόον ἐχθαίρεντα δόλας, αἴδας πύλας ὡς;
Τίς χθαμαλοφερσώνην Φαῖη, η πολλὸν σύνης
Πάντας τὰν λαῶν ἡγήτορες ηδὲ μέδοντας;
Τίς τὸν ψυναῖον μάλα καὶ κεφτερέφενα θυμὸν
καὶ πάσις ἀδάμαντον ὥιζύσιν σκυροφώσα;
Ουκ ἄρα ημείων τάδ' αἰδεν, ὡς ἐπεοικεν,
Ουτε γδὲ ὡς πόλλων τέσσαν ήμιν κρείνει ἔέλδερ,
Νῦσσος τὸ δέγαλέη, καὶ γυοβόρει μελεδῶνες
Τὸν βίοτον τείργοτι διαμπερές, ἄλλυδις ἄλλοι,
Ουδὲ ἐπι τῶν ἀνιῶν τε κακῶν ἀμπαυμα τέτυκτο.
Τμῶν δὲ, ὡς Μῆσας, μεγάλης Διὸς αὐγλαὰ τέκνα,
Αἱ Βίσας Ελμοιο καὶ ἄλσεα καλὰ νέμεσθε,
Τοῦτο γέρας, καὶ γδὲ τοῦτο κῆρε ἐφίλαθ' οἱ ἡρως
Τμᾶς ἐκ παιδός γε, καὶ βύδεων ψυτοῦ ἐληξεν.

Τμῶν μὲν πολλοῖς δαπανήμασιν συνάδε ναύς
Πάπα τῷ αγακλειτὸς τὰ πεζῶτεροις, νέον Φῶς
Ευτεβίη πινυτοῖς τε λόγοις καὶ πατερόδεροις ἐγοίρων.
Ουδὲ Πατήρ, δέχων Γερμανῶν Φαίδημό τοιούτοις
Τῆς πάπας ψεύλιζε, τὰ διαφέντα τελέος,
Λιποῦ τὸ ιγλειον τεκῆνας, θεσπέσιον δῶ,
Ωὶ δὲ παύρερείσει αἰα πᾶσαν τούτουδῶν γῆν.

Αλλ'

Desideratiss. Principis nunquam cessabimus canere
Donec in his terris vixerimus: (nimo,
Non enim ipse injuria quemquam afficiebat superbo a-
Nec rem pub. atterebat, aut cor immisericors habebat,
Sed bonus & mitis, & erga omnes benignus,
Tanquam pater liberis, ita bene cupiebat subditis.
Beneficentia& die nocte&q; memor,
Sæpe benefaciens etiam iis qui male ei vellent,
Sicut Deus ipse pluit bonis pariter ac malis
Et iubar solis emittit in terram universam.

Quis sinceram pietatem Principis dicat,
Aut animum dolos, ut portas orci, perosum?
Quis modestiam narret, quia longè superabat
Omnes populorum principes & reges?
Quis generosum prorsus & fortem animum
Cunctisq; ærumnis insuperabilem memoret?
Non nostræ profectò opis est, hæc, ut par est, canere:
Nec enim Apollo tantis votis annuit,
Difficilisq; morbus & curæ corpus conficientes
Vitam atterunt continuè, aliæ ex aliis,
Nec amplius dolorum & malorum relaxatio exstat.
Vestrum autem ô Musæ magni Iovis pulcræ filiæ,
Quæ saltus Elmi nemora&q; amœns habitatis,
Munus hoc est: nam ex animo vos diligebat heros
A puero usq;, & benefacere nunquam desinebat.

Vobis quidem magno sumtu hic templo
Avus eius inclitus primum statuit, novum lumen
Pietati & bonis litteris in patria excitans;
Et Pater, Principum Germanorum fulgida stella,
Auo nihil inferior quæ ipse reliquerat perfecit,
Arduum Iuléum fabricatus, divinam domum,
Cum qua paucæ contendi possunt in tota Germania;

E

Verum-



Αλλ' ύμιν περούδης πολλὸν ΦΡΕΔΕΡΙΚΟΣ ἀεξεῖ,
καὶ πέωτῷ σφέτερν τέμνει δέλποισι πύκασσι.
Τιμῶν γάν μελέτω τάδε πάντ', ὡς ἔννέα κάρεψαι,
Οοσ' Ἐπιτροχάδην ἐνέπει ἐπείγε ανάγυν.
Ουτε γὰρ ύμέτερν γένει δέ τ' ἀχάρειον ὄπισθι,
Ουδὲ Ἐπιλαγάνε^τ) ὃν δέ πάθ' αἰνεῖ θυμῷ
κλέίστε μητραγέτας αἴσιαλέεοιν ἀοιδῆς,
Πάπτον, οὐδὲ γὸν μέγαν, ψωνόντε ιράπισον,
Μοημηντέ εἰς αἰῶνα Φίλων ριζώσατ' ανάκτων.
Ημῖν νῦν τοιόνδε Ἐπιγραμμόν τοπούμβιον δέκεται.
Ενθέδει ΦΡΕΔΕΡΙΚΟΣ ὁ Γέλφι^τ, δέ χρόνον ανάκτων,
Τῆς αγανοφερσώνης τύποι, ηδὲ ίνδαλμα περπάσους
Ευστρίπης δέετητε, γάντι τῆς πατερίδοις αίας.



τετρα

τε

Verumtamen proventus vobis multum auxit FRID-
H V L D E R I C V S ,

Et primus delubrum vestrum libris referat.

Vobis igitur ea omnia , ò novem puellæ , curæ sint ,

Quæ ut nos cursim memoremus necessitas imperat :

Nec enim genus vestrum ingratum unquam est ,

Aut obliviscitur benefactorum improbo animo .

Celebrate doctores vestros perpetuis laudibus ,

Avum , & magnum filium , optimumq; nepotem

Et memoriam carissimorum Principum in ævum conser-
vate .

Nobis nunc eiusmodi inscriptio sepulcri sufficit :

Hic dormit FRID. H V L D E R I C V S , Gvelfius , gloria

Principum ,

Clementiæ exemplar , simulacrum omnis


Pietatis & virtutis , delicium patriæ .

III. eid. Sext. anni

clo loc XXXVI. f.

CONRADVS HORNEIVS D.





Je 765

ULB Halle
002 413 515

3




TA-OL

VD 77

46

Georgi Cal
Sia En
Siern Com
Latib Rec
Rolin



Farbkarte #13



ORATIO FVNEBRIS
MEMORIAE
SEREN. ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. FRIDERICI
HVLDERICI,
DVCIS BRVNSVICENSIS AC
LVNÆBVRGENSIS,
IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA
III. EID. SEXTIL.
ANNO cIc Ic XXXV.
HABITA
ET NVNC DEMVM EDITA
CONRADO HORNEIO
S. THEOL. D. ET PROF.
PVBL.



HELM AESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.
ANNO cIc Ic XLI.

